

tinebit gradum unum minuta 2. seu 62. min. Rursum in tertio  
 Quadrante abscindatur arcus  $KL$  63. grad. qui secetur in 60.  
 partes, quarum quælibet continebit unum gradum, 3. min. seu  
 63. min. Sic in quarto arcus  $MN$  64. graduum, diuidatur in  
 60. partes, quarum quælibet continebit unum gradum 4. min.  
 seu 64. min. & sic consequenter usq; ad 59. Quadrantem, ex  
 quo auferatur arcus v. g.  $OP$ , 59. partium, qui secetur in 60.  
 partes, quarum quælibet continebit gradum unum, 59. min.  
 seu 119. min. Qua diuisione facta subscribendi sunt singulis  
 Quadrantibus numeri secundum diametrum  $AC$ . Primo à Qua-  
 drante  $BC$ . 1. secundo, 2. tertio, 3. & sic cõsequenter usq; ad 59.

Vt autem iustior & commodior fiat acceptio arcuum 61, 62,  
 63, &c. partium, portio in Quadrante  $CB$ , quæ est à gradu 60.  
 usque ad 90, nempe  $AB$ , transferenda est in aliam cartam & in  
 59. partes æquales distribuenda; beneficio deinde circini faci-  
 le erit tot, quot volueris partes in alios Quadrantes transferre.

Vfus huius Quadrantis talis est; dirigatur latus eius  $AB$  ver-  
 sus solem aut stellam propositam & appposito oculo ad  $A$ , tam  
 diu attolle vel deprime Quadrantem, donec per utrumque fo-  
 ramen conspicias stellam, tum nota gradum, quem filum per-  
 pendiculi in primo Quadrante  $BC$  abscindit, tot enim gradus  
 continebit altitudo stellæ propositæ. Quod si filum non ab-  
 scindat præcisè aliquem gradum, in Quadrante  $BC$ , tunc vide  
 ex quo Quadrante partem integram abscindat, quod ferè sem-  
 per fiet ob partium multitudinem; altitudo enim tunc ultra  
 gradus ex Quadrante  $BC$  abscissos continebit tot minuta, quo-  
 tus in ordine fuerit quadrans. Vt si filum perpendiculi cadat  
 v. g. ultra gradum trigessimum in Quadrante  $BC$ , & cadat insuper in  
 partem aliquam integram Quadrantis decimi quinti, dico altitu-  
 dinem quæsitam continere gradus 30. minuta quindecim. Sic  
 in cõteris. Quo maior autem erit eiusmodi quadrans, eo com-  
 modius gradus inscribi poterunt.

B 2 Altitu-